Sigismundus dei gratia Rex Polonie Magnus dux
Lituanie Russie prussieque etc dominus et heres

Magnificis et Generoso Stanislao de Coszyelyecz Inowladislavien. et Capitaneo Georgio de Bayzen Palatino
Mariemburgen. et Joanni Balinsky Castellano Gedanen. Sincere et fidelibus dilectis, gratiam nostram Magnifici et Ge-
nerose Sincere et fideles dilecti. Dudum nos cupien. ecclie Varmien. condicioem facere meliorem. ex speciali gratia
et munificencia nostra Regia. bone memorie Epo Varmien. eiusque successoribus opidum nrm Tolkemit cum toto suo
districtu. quem tunc certis expressis Limitibus determinavimus ac omnibus villis predys et possessionibus in eo con-
sistentibus pleno iure dominio et proprietate perpetuo donavimus. Exposuit autem nobis Reverendus in Cristo
pater dominus Fabianus Epus Varmien. quod licet prefatus Lucas antecessor suus cupiens donationem eandem
ad effectum deduci. villas Clankendorf et Meyhom. ac predia sive Curias Banchlanke et Lockerat. aliaque
bona et possessiones que sub dicto districtu consistunt. a consulatu seu Ciuibus Elbingen. a quibus partim
in pignus pro quibusdam eis inscriptis pecuniarum summis partim etiam alias indebite tenebantur exemptionem
illarum de nro consensu offerendo repetierit. eosque super hoc coram vobis aut quibusdam aliis propterea de-
putatis commissarys traxerit in causam. illi tamen Mandatum nrm contemnen. non solum possessionem ipsam
evacuare recusarunt hactenus sed nuper etiam ipi proconsules. et Consules Elbingen. nulla neque de Lite neque
de donacione predictis mencione facta. quasdam a nobis lras consensus super exemptione dicte ville Mey-
hom intra limites predictos ut prefertur comprehense. impetrarunt. quarum vigore ipius ville possessionem
in preiudicium memorate donacionis nre Regie. apprehenderunt illius fructus et proventus indebite percipiendo.
Cum autem intencionis nre. minime fuerit consensum. et lras predictas ipis Elbingen. concedendo. dicte nostre do-
nacioni aut Liti et iuri dicti domini Epi et Ecclie Varmien. in aliquo preiudicare vel obviare. Ipseque dominus
Epus cum suo Venerabili Capitulo. cupiens iam tandem de huiusmodi nra munificencia et donatione fructum
optatum reportare, actionibus calumnys deinceps viam precludi nobis supplicavit. ut benigna et providam
rationem omnium predictorum habere sibique et ecclie sue in premissis de remedio oportuno providere ac iam
dictam nram donationem, ad effectum et executionem debitam deduci mandare dignaremur, Nos itaque
quibus nichil est magis in animo quam ea que ex nra Liberalitate. presertim ad Consiliariorum nrorum. quorum
in regimine nre curis soliciata opera utimur. comoda et dignitate ampliandam. ac ad Ecclesiarum presertim
Cathedralium decorem et utilitatem contulimus, illibata conservare. et manutenere dicti domini Epi
iustis supplicacionibus inclinati. Vobis de quorum industria. et integritate plurimum confidimus Committimus
presentibus Mandantes ut pro tempore et loco oportuno. simul convenien. vocatis coram vobis tenutarys
et detentoribus predictis ac omnibus qui pro singulorum infrascriptorum execucione fuerint evocandi quorum
nomina hic volumus haberi pro expressis cum eorundem lris iuribus et munimentis. que super villas
predia et bona predicta. se habere pretendunt. eadem diligenter revideatis. et examinetis summasque pecu-
niarum ipis in eisdem per nos. aut antecessores nros reges iuste et Legittime inscriptas prefatum dominum
Epm numerare et reponere. ac per eosdem tenutarios. iuxta nram super hoc alias factam declarationem
recipi et effectualiter tolli faciatis. ac remissis etiam. et diligenter recensitis Lris predicte nre donationis. illarum
auctoritate et vigore ipi dno Epo tam predictarum quam aliarum quarumcumque villarum. possessionum predictorum
Curiarum. feudorum iurisdictionum. ac aliorum Iurium et bonorum intra supradictos per nos designatos limi-
tes consistencium ac alias ad nos quomodolibet pertinencium quorum nomina qualitates circumstancias situa-
tiones et confinia similiter haberi. hic volumus pro expressis, possessionem realem et actualem assignetis
facien ei de illorum redditibus iuribus et obvencionibus universis integre respondere eumque illis libere frui et
gaudere secundum tenorem dicte donacionis nre. Verum quia cives Elbingen. super villa Meyhen in distri-
ctu predicto Tolkemit sita et in donatione nra comprehensa. nuper a nobis gratiam quindecim annorum obtinuerant. in
hunc modum ex ea villa exemi non possent nisi quindecim anni effluxerint Nos donationem nram firmam fieri volen.
Committimus vobis presentibus ut dum vobis constiterit dictam villam Meyhon. ad districtum prefatum pertinere et in donatione
nra comprehensam esse. decernatis iustitia mediante. Summas pecuniarum in dicta villa Meyhon. per Elbingen
iuste et legittime habitas a prefato Venerendo domino Epo et Capitulo Ecclie Varmien numerari et dari per
prefatos autem cives illas recipi et Levari possessionemque eiusdem ville dicto Rndo domino Epo et Capitulo ecclie
sue Iustitia mediante assignetis. In eaque ipm dnm Epm ac Capitulum Varmien. tueamini et defendatis Et aliter
non facturi pro gratia nra. Datum in Conventione generali Pyotrcovien. Sabbato proximo post festum Translacionis
sancti Venceslai Anno domini Millesimo quingentesimo decimonono Regni vero nostri anno tredecimo

Commissio Sacre Regie
Mtis propria

2v

C

Cōmissio ad exequendū donationē Tolkemit

1519

1517 5/3

1